

8.51.8

*Idem AA. Matronae.*

Praeses provinciae, ne ulterius in servitutis iugo detinearis, curae habebit: qui pro sollertia tua parum ignorat magis filiorum tuorum statum tueri, quos, posteaquam redempta es, enixam te esse significas, cum eos, qui post redemptionem nascuntur, ne pignoris quidem vinculo ob pretium, quod pro his datum non est, teneri nullis auctoribus visum est.

*PP. Vid. Febr. Tiberiano et Dione cons.*

[a. 291]

8.51.9

*Idem AA. et CC. Gregorio.*

Captum ab hostibus filium, patre mortuo medio tempore, lex Cornelia reversum, si in potestate patris tempore quo capiebatur fuit, suum facit heredem.

1 ¶ Unde si ex testamento ad te sive intestato successionem patris tui pertinere apud praesidem provinciae probaveris, restitui tibi res hereditarias iubebit, si non tantum postquam reversus es tempus effluxit, quantum intentionem tuam temporis prolixitate conquirere facit.

*PP. Vid. April. AA. cons.*

[a. 293]

8.51.10

*Idem AA. et CC. Apollodora.*

Sicut liberis captis ab hostibus ac postliminio reversis status pristinus restituitur, sic servi domino. Unde si haec, cuius meministi, ancilla patris tui fuit nec commercio redempta est, reversa dominum vel eius successorem sequitur, qui per captivitatem hanc amiserat.

*S. III k. Mai. Hadrianopoli AA. cons.*

[a. 293]

8.51.11

*Idem AA. et CC. Eutychio.*

Si liberum captum te ab hostibus commercio redemit Sabinus et eum vinculum pignoris superstitem remisisse tibi probetur, non libertus effectus, sed ingenuitati quam amiseras restitutus nullum filiis eius obsequium debes.

*S. XV k. Ian. AA. cons.*

[a. 293]